



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

39. An non solùm existens articulo mortis, sed etiam in pe[ri]culo possit
absolvi à quocumque Sacerdote ab omnibus casibus? Et an hæc sententia
etiam intelligatur, dum absolvendus morali necessitate ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

decidere, hæc erit. Quando causa pollutionis prævisa notabiliter, & per se influit, nec adesturgens necessitas illam exercendi tribuitur culpa mortali pollutione: eaque culpa afficiet causam, quamvis aliis licita esset: huiusmodi autem causa, solæ sunt res Venereæ, ut tactus, aspectus, & turpia verba. Nota verò me signanter dixisse, huiusmodi causa solæ sunt res Venereæ. Nam multi DD. probabiliter docent etiam si gula, vel aliud peccatum non pertinens ad vitium luxuriæ, mortale sit, non propterea pollutio ex eo sequens, & in eo prævisa, mortalis erit. Quamvis ergo in ebrietate, vel esu, aut potu mortali, prævisa sit pollutio, non imputabitur ipsa ad peccatum mortale; nec quando homo dat eam causam, peccabit mortaliter contra castitatem, sed contra abstinentiam, & sobrietatem, aliâque virtutem. Imò quamvis gula esset mortalis ex circumstantia luxuriæ, nimirum quia esset ordinata ad fornicationem, ob quam fumerentur cibi calidi, non ideo pollutio esset mortalis, quia finis ille nihil in eam influit. Est Cajetan. 2. 2. q. 54. art. 3. paulò ante 8. in resp. ad 5. Et idem est, cum quis peccaret mortaliter, in cibo, vel potu, eo quòd se exponeret periculo consentiendi formaliter in pollutionem; si enim postea non consentiret formaliter in illam, non procuraret illam, quamvis sequeretur, non esset peccatum mortale. Ita Granad. in part. 2. controvers. 6. tract. 4. disp. 6. num. 12. & 18. Salas in p. 2. tom. 2. tr. 13. disput. 6. sect. 18. n. 117. Sanchez loc. cit. lib. 9. disput. 45. n. 17. 18. & 21. Valquez ubi supra, cum aliis Patribus Societatis Jesu, hæc de re consultis, ut ait Salas. Sed si cupis videre aliquos auctores, extra citatos, restantes de hac questione; vide Reginald. in praxi tom. 2. lib. 22. cap. 3. sect. 9. num. 43. Valent. in 2. 2. disp. 9. q. 3. punct. 3. §. Itaque duo requiruntur, & 5. sunt autem, & §. Itaque ad cognoscendum, & Medicinam in p. 2. q. 74. art. 6. ad 3. & 4.

RESOL. XXXVIII.

An absolutio obtenta bona fide à peccatis tantum, & non à censuris sit valida, si penitens sit notatus aliqua excommunicatione, etiam reservata, ita ut non teneatur iterare confessionem, sed tantum petere absolutionem ab excommunicatione?

Et quid est sentiendum, si Confessarius sciât peccata habere annexam excommunicationem, & cum non obstante ex malitia absolvat, licet non habeat potestatem absolvendi à tali censura? Ex p. 3. u. 4. Resol. 78.

Sup. hoc supra in Ref. 25. & lege infra in tr. 5. doctrinam §. Sed quid, & seq. Ref. 14. & cursim in fine Ref. 27. & in Ref. 34. & in tom. 5. tr. 1. Ref. 128. per totam, & in tom. 9. tr. 7. Ref. 124. §. Sed difficultas, & lege ibi doctrinam Ref. 123. paulò post infra, à vers. Imò, & aliarum

§. 1. **N**egativè respondet Finellius tr. de cas. reser. c. 10. n. 8. ubi sic ait: Licet quodlibet Sacramentum de facto collatum excommunicato teneat, nec per excommunicationem irritetur vis sacramenti; hoc tamen non est verum in sacramento Pœnitentiæ: etenim reliqua Sacramenta solum requirunt Ordinis potestatem in conferente, quæ adimi non potest, at sacramentum Pœnitentiæ ulterius requirit jurisdictionem, per excommunicationem verò subtrahitur excommunicatus à jurisdictione Confessarij, & propterea absolutio eidem impertita, est nulla, quia absque jurisdictione; non item alia Sacramenta, quæ absque jurisdictione, quæ sit eorum validitati necessaria, conferuntur. Ita Finellius. Hanc etiam sententiam docent Ledesma in summa tom. 1. de Sacram. Pœnit. cap. 20. dub. 2. Valquez in 3. p. tom. 4. tract. de excommunicat. dub. 4. num. 8. & Sancius in selectis, disp. 32. num. 11. qui citat Paludanum, Adrianum, & Sylvestrum, Majorum, Gabrielem, Antoninum, Ledesnam, Chapca-

villam, & alios, quibus ego addo nostrum Megalam in 1. p. lib. 5. cap. 19. quest. 4. in fine.

2. Sed ego contrariam sententiam teneo cum Navarro in manuali, cap. 9. num. 4. Toletio lib. 3. c. 10. Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 6. cap. 12. num. 12. & Coninch de Sacrament. disp. 8. dub. 3. concl. 4. num. 104. ubi sic asserit: Qui est excommunicatus excommunicatione reservata, si bona fide confiteatur aliqua peccata non reservata simul cum reservatis, validè absolvetur, nam nullo modo est de essentia huius Sacramenti, ut penitens prius absolvetur ab excommunicatione, quàm à peccatis. Sic ille. Dicendum est igitur, quòd excommunicatio non irritat absolutionem, dum se tenet ex parte recipientis, unde nisi ipse sciens vellet Sacramento communicare, Sacramentum, & fructum Sacramenti reciperet, nullo enim jure sit irrita talis confessio, nedum cetera Sacramenta. Et ideo hanc sententiam præter DD. citatos, tenet etiam Suarez de cens. disp. 10. sect. 3. n. 6. qui citat Caietanum, Covarruviam, & alios. Igitur in tali casu penitens absolutus à peccatis, & non à censura, non tenetur reiterare talem confessionem, sed tantum petere absolutionem ab excommunicatione, quod est valde notandum.

3. Et omnia supradicta procedunt, non solum quando penitens absolvetur, quia ipse ignorat excommunicationem, vel recipit Sacramentum ex necessitate, sed etiam si Confessarius sciens peccata habere annexam excommunicationem, illum tamen, hoc non obstante, ex malitia absolvat, licet non habeat potestatem absolvendi à tali censura.

4. Ad argumentum verò Finellij, & aliorum respondeo in hoc casu adest jurisdictionem, nam per excommunicationem privatur quis jurisdictione activa in alios, non tamen subiectione passiva ad alios sibi superiores, seu (quod idem est) alij non privantur jurisdictione in ipsum; alioquin non tam ipsorum excommunicatorum, quàm ipsius Confessoris esset talis pena. Vide Suarez ubi supra. n. 11. & seq. Et hæc omnia vera esse etiam, ut diximus, si censura sit reservata, optimè notat Suarez loc. cit. num. 15. adi illum, & non pigebit.

RESOL. XXXIX.

An non solum existens in articulo mortis, sed etiam in periculo possit absolvi à quocumque Sacerdote ab omnibus casibus?

Et an hæc sententia etiam intelligatur, dum absolvendus morali necessitate coactus bellum, v. g. seu naufragium aggreditur, & secus si ex voluntate propria id faciat? Ex part. 5. tr. 3. Ref. 59.

§. 1. **N**egativam sententiam docet Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 4. Canus de Pœnit. part. 5. Covarr. in cap. Alma mater, part. 1. §. 11. num. 8. & Valentia tom. 4. disp. 7. quest. 8. punct. 2. quia Trident. in cap. 7. sess. 14. ubi præbet talem jurisdictionem, loquitur tantum de penitentibus existentibus in articulo mortis.

2. Sed affirmativa sententia tenenda est, quam tuetur Merolla tom. 2. disp. 4. cap. 6. coroll. 3. num. 92. Licet immeritò me citet pro negativa sententia, nam ego in loco à meipso citato non loquor ut legenti patet, de absolutione à censuris, & reservatis, sed de applicatione Indulgentiarum, quas modò etiam teneo posse applicari in periculo mortis. Præpositus in 3. part. quest. 7. de ministro sacramenti Pœnitentiæ dub. 6. num. 43. Valquez in 3. part. tom. 4. quest. 93. art. 1. dub. 5. Coninch de Sacram. disp. 8. dub. 2. num. 16. Jacobus Granado de Sacrament. in 3. part.

part. contr. 7. tract. 10. disp. 4. sect. 20. num. 10. Bellochius de casib. reserv. part. 1. quest. 2. num. 125. Floronus de casib. reservatis part. 1. cap. 4. §. 20. n. 3. Uguilinus de cens. tab. 1. cap. 4. §. 5. num. 9. Sayrus de censuris lib. 1. cap. 20. num. 28. Coriolanus de casib. reservatis part. 1. sect. 2. art. 16. num. 3. Filliucius de casib. reserv. cap. 8. numer. 8. Caestlinus in compend. Theol. moral. tract. 1. cap. 13. Tannerus tom. 4. disp. 6. quest. 9. dub. 3. num. 75. Suarez tom. 4. disp. 26. sect. 4. num. 3. Henriquez lib. 6. cap. 11. num. 11. Torreblanca in pract. juris spirit. lib. 14. cap. 6. num. 24. Turriamus de penit. disp. 23. dub. 3. Valboa in pralection. Salmanticen. tom. 2. cap. omnis utriusque sexus. de poenit. & venial. num. 35. Verum Sanchez in Summa. tom. 1. lib. 2. c. 13. n. 5. Trullench in Bulla Cruciatæ lib. 1. §. 70. c. 2. dub. 4. numer. 6. Ludovicus à Cruz in Bulla Cruciatæ disp. 1. cap. 3. dub. 28. num. 4. & alij limitant hanc sententiam, dum absolvendum morali necessitate coactus bellum, v.g. seu navigationem aggreditur, secus si voluntate propria id faciat, tunc enim non dicitur propriè in mortis periculo constitutus, cum ipse spontè velit se constituere.

RESOL. XL.

An moribundus possit, quando alius non adest Sacerdos, petere à Sacerdote excommunicato, heretico, schismatico, &c. absolutionem, etiam si fecit supra dictos cum peccato Sacramentum administraturos? Ex part. 5. tract. 3. Ref. 58.

Sup. hoc le. ge dicitur an §. ult. Ref. seq. & infra in tr. 5. Ref. 2. & si- gnanter & late in tom. 3. tr. 1. Ref. 43. R Espondeo quòd quamvis dicti Sacerdotes præcisi possint, ut in superiori resolutione probatum est, validè poenitentes absolvere, ut tamen licitè possint, necessarium est quòd sint à peccato mortali, contritione, aut aliter justificari, nisi quando periculum ægroti ita urget, ut ob ipsum statim audiendum nequeant conterti, nec aliter justificari, quia tunc licitè possunt, quamvis sint in peccato mortali, & quamvis Sacerdos non sit licitè administraturos absolutionem, quia justificari potest, & non vult, tunc poenitens in articulo mortis existens potest ab illo absolutionem petere (quando poenitens non timet subversionem ob communicationem cum eo Sacerdote, & quando ob communicationem cum eo non apparet profiteri errorem aliquem illius Sacerdotis) quia tunc petit quòd Sacerdos ille potest licitè facere, si velit, quòd etiam est verum, quamvis Sacerdos ille non sit paratus ad illicitè absolvendum, quia regula illa, nempe quòd nequeat quis inducere aliquem ad id, in quo peccaturus est, quando qui inducitur non est paratus ad id, tantùm est vera quando inducenti non est in præcepto id, ad quòd inducit; confessio autem & receptio sacramentalis absolutionis in dicto articulo est poenitenti in præcepto, imò etiam ipsi Ministro est in præcepto auditio & absolutio. Et hæc omnia docet Hurtado de Sacram. Poenit. disp. 10. diff. 8. doctè, ut semper solet. Cui adde Præpositum in 3. p. 9. 7. de ministr. Sacram. Poenit. dub. 5. n. 42. ubi sic ait: In necessitate Sacramentum posse peti à non parato, etiam si putetur peccaturus, scilicet, quando deest alius, nam potest actum exercere absque peccato, & urget necessitas talem actum petendi, propter quam poenitens non censetur Confessarium ad peccatum inducere, vel ejus peccato cooperari. Imò quando desunt alij, poenitens non tantùm potest, sed etiam debet petere hoc Sacramentum ab excommunicato, imò heretico, sic non sit periculum scandali, pervertionis, &c. quia cum communior sententia teneat eum posse absolvere, ut constitutus in articulo mortis

suæ salutis consultat, & ut præcepto confessionis satisfaciatur, tenetur tali confiteri. Hucusque Præpositus. Cui etiam consentit Kellifonius in 3. part. tom. 2. quest. 8. art. 6. dub. 1. & Caestlin. in Compend. Theol. moral. tract. 1. cap. 13.

RESOL. XLI.

An Sacerdos hereticus, & excommunicatus non toleratus habeat potestatem absolvendi in articulo mortis? Et an in tali casu non solum licitè, poenitens possit à talibus expetere absolutionem, sed etiam per se loquendo teneri, quia ex divino præcepto ad confessionem obligatur? Ex part. 4. tractat. 4. & Misc. Resol. 235.

§. 1. N egativam sententiam quoad hereticos, & schismaticos docet Sotus in 4. dist. 18. quest. 4. art. 4. Navarrus in man. cap. 26. num. 26. & Martinus Ledesma 2. 4. quest. 21. art. 6. Quia Sacerdos hereticus, & schismaticus non habet jurisdictionem, quia caret fide, quæ est fundamentum necessarium ad jurisdictionem Ecclesiasticam, & de excommunicato non tolerato idem docuit Medina Cod. de Confessione, q. 32. & Covar. in cap. Alma mater. part. 2. §. 6. quia per excommunicationem aufertur eis omnis jurisdictionis, saltem Ecclesiastica; sed meritò contrariam sententiam docet Cano, Suarez, & Valquez, quos citat, & sequitur Gaspar Hurtado de Sacram. disp. 10. de poenit. diff. 8. quibus ego addo novissimè doctum Guilielmum Mercerum de Sacram. in 3. part. D. Thom. q. 8. art. 5. dub. 6. num. 2. Layman lib. 5. tract. 6. c. 12. num. 13. Barbosam in collect. in Concilium Trident. sess. 13. c. 7. num. 15. & alios penes ipsum, quod probatur ex Concilio Trident. sess. 44. cap. 7. ubi sic ait: Pœ admodum in Ecclesia custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quolibet poenitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvi possunt; unde triplex ista universalitas, nempe quilibet poenitens, à quibusvis peccatis, per quemlibet Sacerdotem, nihil relinquit excipiendum: Prima comprehendit omnes poenitentes, etiam excommunicatos, hereticos, &c. Secunda omnia peccata affecta quacumque reservatione, & censura, Tertia omnes Sacerdotes quacumque censura, vel culpa ligatos, etiam non approbatos. Nec credendum est, Ecclesiam in tali casu nolle concedere potestatem absolvendi.

2. Notandum est tamen, in tali casu poenitentem non solum licitè, ut observat Mercerus, à talibus Sacerdotibus hereticis, schismaticis, &c. expetere absolutionem, sed etiam, per se loquendo, teneri, quia obligatur ad confessionem ex divino præcepto quòd commodè impleri potest, & hoc procedit, ut optimè observat Hurtado, etiam si talis Sacerdos non sit licitè administraturos absolutionem, quia justificari tunc possit, & non velit, etenim tunc poenitens petit, quòd Sacerdos potest tunc licitè facere, si vult, quæ omnia limitanda sunt, quando poenitens non timet subversionem ob communicationem cum tali Sacerdote, & quando ob communicationem cum eo, non apparet profiteri errorem aliquem dicti Sacerdotis.

RESOL. XLII.

An Sacerdos nominatim excommunicatus, vel publicus Clericus percussor, hereticus, schismaticus, &c. habeat potestatem in articulo mortis absolvendi mo-

